



Dietmarsia Marforum populorum sedes & reliquæ creduntur, ij nomen suum à
 Marfo Tuiskonis nepote Hermionis filio Germanorum rege repetunt, de his sic
 refert Althamerus: Sicut Tuiskones, Hermiones, Ingeuones, Istheuonès, Germani,
 Teuthonica sunt vocabula, ita Marsi etimon habent Germanicum. veteres namq;
 Germaniæ populi Saxones (quorum hi pars sunt) palustria & aquosa loca, Mers &
 Merlude appellant. Palustres autem Marfos, sicut & Holfatiam patria lingua dixe-
 runt, locis nemorosis habitantes: inde est VVilstermers, Crempermers, Dietmers. Cui sententia
 accedit etiam Albertus Cranzius lib. 1. Vandal. cum inquit: Marsi concessere ad Albim, quorum
 tenues reliquæ in palustribus sunt non longè ab ostio fluminis Dietmarsii, VVilstermarsii & Crem-
 permarsii: qui quoniam in palustribus locis habitant, obtinuit Saxonum consuetudo, vt omnes pa-
 lustres, Marsi vocitentur, Et lib. 1. ca. 1. Idem sic ait: Quoniam in vetustissimis rebus, vbi reliqua nul-
 la est in literis memoria, coniecturæ sit locus, omnem ego Holfatiam & Stormariam, in cuius solo
 fundata est Hamburga, Marforum genti deputandas puto, quæ in solis palustribus nomen seruaui.
 In aridis autem habitantibus hoc nomen permisit, vt ad suæ gentis aliquam modò differentiam
 Holfati dicerentur, qui per vicina nemora vsque ad terminos VVagriæ diffunduntur. Stormaria verò
 quasi Storremarsia, a Stora flumine appellata, vt pro Marsia Maria sic inolitum. Omnis autem ea
 Marforum natio ab omni literarum memoria, fuit annumerata, atque etiamnum inferiori Saxoniæ
 accensetur, quamuis hodie Danorum imperio subist. hic enim Regum Daniæ primogenitus, quem
 admodum Gallia Regum in Delphinato, moratur: ac quemadmodum Stormariæ seu Storremarsio-
 rum Hamburgum ciuitas est sub duce Holfatensi, ita Dietmarsorum metropolis est Bremensis vrbs
 Episcopalis. habet & Meldorpium, Heininckste, ac aliquot alia oppida. Ob vicinum Septentrionè
 & frequentes lacus ære fruuntur humidior. Regio ipsa palustris adeo est, vt peregrinantibus, iti-
 nerantibusque minime peruia sit: quibus impedimentis freti, diu sese ab exterarum gentium vici-
 norumque hostium incurfu tutati sunt. Syluis præterea tota implicata ac referta est, vtpote Burg-
 holt, Aluersdorpenholt, Refenvalde, ac complures aliæ. Agri fertilitas ob nimiam humiditatem
 vix commendanda est. In ipso Cimbricæ Chersonesi introitu ad Albis fluij ostio sita est regio, ter-
 minaturque à Septentrione Eydero flu. & Danimarchia, ab Ortu Holsteinensi seu Holfatarum du-
 catu, à Meridie Albi flu. & Storemarsia, ab Occidente Oceano Germanico, vbi Heilichlandt & Hu-
 sen insulas respicit. Porro & hæc ex Henrici Ranzouij historia Cimbrica subijcere placuit: Diet-
 marsia (inquit) cum Holfatia coheret, continensque, cum illa, & inter Britannicum Germanicum
 que mare (vbi vetustissima Cimbrorum sedes est) posita, ac situ naturaque loci peregre munita,
 gentem præsumptæ libertatis assertricem, bello fortem, multisque victorijs elatam atque forocem
 semper habuit. Eius maiores, Daniæ Regem Ioannem, eius fratrem Fridericum ducè, & alios prin-
 cipes, comites, multamque & Danicam & Holfaticam nobilitatem quæ regibus ducibusque suis
 militarem operam fidemque præstitit, aut locorum iniquitate in palustres voragines depresserunt,
 aut nefariè trucidarunt, itaque magnas de eisdem victorias reportarunt. Hos Fridericus II. Rex Da-
 niæ, Ioannes & Adolphus patrum ac fratrum Holfatiæ duces, vnanimi consensu, Inuictis animis, &
 communi sumptu adgressi, magnisque viribus in intimam Dietmarsiam penetrantes, tribus prælijs
 acerrimè repugnantes incolas deuicerunt, & duo oppida, Meldorpium & Heidaïm, ceperunt. In
 qua quidem expeditione asperrima, principes belli duces inuictorum Imperatorum, & virtutis mi-
 litaris officia impigrè obierunt. Adolphus Princeps graui vulnere saucius, dubiam speim vitæ edi-
 dit. Ioannes Ranzouius, Regis, ac Principum decreto, summus belli dux, ex spherula plumbea vul-
 nus accepit. Deuicti tandem Dithmarsii, Regi ac Ducibus supplices facti, fidelitatis iuramentum
 præstiterunt, annuatim de singulis agrorum iugeribus thalerum, & dimidiatam messem simul pro-
 mittentes. Hucusque Ranzovv. In cuius eruditissimis scriptis non de hac tantum regione, sed & plu-
 rimis totius Septentrionis, præcipue tamen Daniæ & Holfatiæ, prouincijs, per multa lectu dignissi-
 ma inueniuntur.



